



LIBRI SECUNDI AL- CHEMIÆ

TRACTATVS TERTIVS DE SPECIEBVS CHYMICIS COM- POSITIS.

CAPVT I.

De Elixyre.

DICTVM de speciebus simplicibus est, quæ vno processu si-
nul fiunt, siue res vna fuerit, siue plures, qualia fuerunt ma-
gisteria & extracta. Sequitur de speciebus Chymicis post ela-
borationem compositis.

Species composita est, quæ ex simplicibus sigillatim vno
processu elaboratis componitur. Id quod variè fieri potest.

Sicut in pharmacopœia primum quodlibet medicamentum per se prepara-
tur ut sit simplex, licet id natura composuerit: postea ex multis preparatis simplici-
bus fiunt compositiones, ut electuaria, pulueres, syrapi, vnguenta, &c. Et hac vicis-
sim commisceri inter se possunt, ut ex pluribus electuariis fiat una medicina: ita in
Chymia euenire solet. Per se enim preparantur simplicia seu sola, seu cum aliis, ut
ramen fiat una essentia vno processu homogenea. Simplices eiusmodi inter se
componuntur magna varietate, eaqꝫ infinita: ut modo magisteria magisteriis, mo-
do magisteria extractis: Et singulorum diuersæ species iterum, quin et simplices
compositis iungantur: Et in usu non raro integræ copulantur magisteriis & extra-
ctis compositisqꝫ speciebus, prout Medico videtur consultum. De compositione ita-
que istiusmodi specierum nunc præcepta sequuntur.

Compositio variis coadunationum modis fieri potest quidem: hic ta-
men maximè valit imbibitio seu nutritio (quæ inceratio quedam) incorpora-
tio, confusio, & his famulatur nonnunquam tritio, solutio, sublimatio, de-
stillationio, &c.

Species composita est duplex: Elixyr, & Clissus.

Elixyr est species ex pluribus diuersi generis simplicium speciebus
composita. Itaque cum oleum terebinthi componitur cum floribus sul-
phuris, & oleo myrræ: quando quintæ vini essentiae miscetur tintura

hhh 2

croci